

gere promptum erat. Benedictio promittitur obedientibus. Hinc sequitur maledictionem inobedientibus instare. Colligunt quidem nullum me peccatū censere, praeter infidelitatem. Mihi verò ut fons omnium est incredulitas, ita haec absurditas nunquam in mentem venit, quòd sola ipsa sit peccatum.

I. Reg. II. b. 8.

Artic. 37.

Annotatio, Vxores quidem sacrificauerunt idolis, nō Salomon. Bib. 1540. 1546.

Censura, In textu quidē non exprimitur quòd sacrificauerit Salomon. quauis sit verisimilius id fecisse, cum exprimat id textus quòd ipse coluerit, deos alienos secutus sit, templa idolis construxerit: quæ tria deteriora sunt quàm sacrificare. Ideò temerarie asseruit author huius annotationis Salomonem non sacrificasse, cum textus id non neget.

Vide quàm subtiliter ratiocinentur cēsores. Refert Scriptura quòd Solomon deos alienos coluerit, secutus sit, tēpla cōstruxerit: ergo sacrificia obtulisse verisimile est. Ego contra potius colligo, cū disertè & ordine cōmemoret pecca-